

Oswald Myconius<sup>1)</sup> an Vadian.

Zürich. 1520. Okt. 17 (kurz vor 1520.10.17)

Mitteilung, dass er nach Zürich gekommen. Erkundigung nach den Verhältnissen Vadians, insbesondere nach dem Prediger Casarius, der durch seine Unwissenheit bekannt sei.

S(alutem). Officium præstiti, Ioa chime charissime atque doctissime, in poscendo aureo nummo<sup>a)</sup>, quem nunc tibi transmitto. Longo ante accepi; sed defuerunt, quibus tuto committerem. Post longissimam simul et gravissimam infirmitatem sanitati redditus Tigurum veni, non postrema causa, ut convenirem Conradum nostrum ac aureum mandarem, ut ad te mitteret. Verum quia abfuit is, patri eius dedi, qui id faceret. Cæterum, ut res tuæ habeant, quid agas, quid novi in literis moliaris, non parum miror; in primis vero, ut tibi conveniat<sup>b)</sup> cum Casario, vestro prædicatore. Quis malus dæmon vobis isthic suggestit, ut hunc eligeretis, qui verbum divulgaret divinum? Nescit, quid Ἀλφα sit, quid Βῆτα; et vos tantum iudicatis, ut animis vestris præsit! Non aliunde imperitia istius mihi constat, quam quod vere doctis et bonis viris tam

infestus est, non satis habens, quod ipse odio illos prosequitur, nisi et toti mundo reddat odiosos. Malum animum principio hæc res indicat, tum caput indoctum, utpote quod ita abhorreat a doctissimis quibusque. Tuum esset persuadere eos, quorum est huiusmodi, hoc est concionatorem deligere, ne talem hominem sibi præficerent. Habes doctrinam, habes auctoritatem<sup>c)</sup> apud tuos, ut hoc facillime<sup>d)</sup> posses; quare mirum est, cur<sup>e)</sup> non aliquid tentaveris. Quodsi tibi cum eo convenit (quod minime credo), miraculum est; quid enim docto cum indoctissimo, bono cum improbo? Reddas igitur nos aliquando certiores, uti illa omnia sese habeant, et rem gratissimam gratiorem facies, sisque nobis amicus; nam te et observamus et colimus. Vale cum uxore tua felicissime. Tiguri, anno MDXX. Conrado scribam.

*Myconius tuus.*

Eximio domino doctori, I o a c h i m o V a d i a n o, medico, oratori  
et poetæ laureato, amicissimo suo.

Sancto Gallo.

a) „numo“. — b) „coveniat“. — c) „author.“ — d) „facillime“. — e) „quur“.

l) Vrgl. I, Brief 105.